

colomotivam & appetitivam, hanc verò omnium maximè, cum paret instar Civis sponte, illa in morem servi necessariò, vulgò est notissimum.

TH. VI.

Rem itaq; sic cape. Status animalitatis sumitur *vel absolute* in se ac suâ naturâ; *vel respectivè*, cum relatione ad Rationem, à quâ dirigatur. *Primò* modò est latior, & non tantùm complectitur in nobis hominibus omnes facultates sensitivas, sed & præter nos homines bruta ipsa. *Alterò* verò est strictior, & nobis non tantùm hominibus est proprius, sed & in nobis solas facultates sensitivas Rationi parentes, sub se comprehendit.

TH. VII.

His positis Status Animalitatis h. l. consistit in usu facultatis I. Status locomotivæ, & appetitivæ in nobis hominibus, quatenus actus illarum moderamini Rationis subicere possumus. I. Status Animalitatis.

TH. VIII.

Inæqualitatem tamen, quam inter has duas facultates jam Th. V. innuimus, ne negligere. Pertinet fanè huc facultas locomotiva, cujus beneficio sub moderamine Rationis manibus pedibusq; aliisque membris nostris benè aut malè utimur; magis tamen appetitus sensitivus, qui per affectus suos valdè hîc est efficax, eosq; bonos moraliter aut malos reddit.

TH. IX.

Nisi verò sensus etiam ad hunc Statum quoadantenus admitti possunt, eò nimirum modò, quo unum eorum atq; alterum, mediante facultate locomotivâ, per rationem ad bonum aut malum dirigi videmus. Hinc Servator ipse *Matth. XVIII.* non tantùm manibus & pedibus *vers. 8.* sed & oculis *vers. 9.* scandalum tribuit. Manet tamen & hoc modo penes facultatem locomotivam & appetitivam prærogativa, cum hæc immediatè, sensus verò mediatè, demùm à Ratione dirigantur.

TH. X.

Ex his facilè intelligis, Statum etiam humanitatis aliquando esse respectivum, nimirum, cum Statum animalitatis, tanquam superior inferiorem, in nobis moderatur. Notanter tamen diximus: *aliquando.* Nonnunquam enim, imò sæpiùs, Ratio in seipsa subsistit